

Z d  
2898

FR 64, 136

X 205 4083


EPOS  
SUPREMIS HONORIBUS  
VIRI  
MAGNIFICI, AC PLANE IN-  
COMPARABILIS  
DN.

CHRISTOPHORI  
PINCKERI JCTI,  
CONSILIARII ELECTORALIS, ET  
SCABINI CONSULISQUE APUD  
LIPSIENSES PRIMICERII,

S.  
FACIEBAT L. M. Q.  
SED RUDI INTER EXPEDIUNDA ALIA  
MINERVA

L. JOACHIMUS FELLERUS, POES. P.P.  
ET ACAD. BIBLIOTHECARIUS.

LIPSIÆ,  
TTPIS JOH. ERICI HAHNII.



JA





hic est; ante alias tantum caput exerit  
Urbes

Lipsia, sidereos quantum inter Delia  
fratres,

Atque humiles inter quercus procera genistas,  
Aut corylos Tilia alta breves. Nam quicquid in arvis  
Pieridum Argolicis, Grajisque hærebat Athenis  
Artium, in Aonias jam dudum Plissidis umbras  
Cessit, & innumeros sparsit, coelo auspice, fructus.  
Hæc Helicon Pindusque virent, culmenque bivertex  
Parnassi, hæc sedem fixit Pataræus Apollo,  
Calliopesque octona soror. Striblignis expers  
Hæc etiam hæreticæ, nulloque infecta veneno  
Floret Religio, qualem se ostenderat olim  
Patribus, & primis CHRISTI post tempora seclis.  
Cyllenî quem regna latent, confinia Phoëbo  
Quæ tenet, & Tyriis vix concedentia priscis,  
Et Gazis, Tartesse, tuis? Huc Indica regna,  
Huc Cyprum, huc Temesum, huc Arabas, huc Serica  
dicas

Migrasse, & patriam præ Lipside temnere avitam.  
Scilicet in rutilum sensim transvertitur aurum  
Æri olim similis Philyre, pompæque coruscâ  
Prægravat innumeras latæ Germanidis urbes.

At

800

At q̄ualis, totum, sibi q̄uæ subjecerat orbem,  
Aurea cūm fieret, vitiorum immerſa jacebat  
Coeno arx Romulidum, luxuq; peribat in ipſo:  
Talis & excelsis monſtrans ſe Lipſia tectis,  
Pactoli & liquido totam ſe flumine inaurans  
Incipit aureolos dudum dediscere mores;  
Ac faſtu infano dum ſe vel Regibus æquat,  
Idaliæqve inſtat, madidoqve litare Lyæo,  
Provocat ignivomas divini Numinis iras,  
Poenarumqve immite genus. Jamq; ipſa Catonem  
Lipſiacum Themis alma vocat, præſaga futuri,  
Talibus & patriam mandat relinquare dictis:  
Egredere, Aſtrææ non inficiande Sacerdos,  
Egredere, atqve meis infer te protinùs aſtris,  
Q̄uæ dudum te læta manent. Nam magna malorū  
Ilias impendet Patriæ. Jacet illa profundo  
Dementata diu ſomno, coelique ſeveros  
Nil curans monitūſ luxūſ ſuperaddere gaudet  
Luxibus, & vanos cenſum convertere in uſus.  
Et q̄uid enim? haut uſu plebejo trita voluptas;  
Non, vulgo q̄uæ nota, placent, ſeu Gallica ſpectes  
Syrmata, & aurato radiantes fulgure veſtes,  
Seu fercla ingenti conq̄viſita undiqve ſumptu  
Deliciasqve gulæ varias. Quin exulat omnis  
Simplicitas ac priſca fides, legumqve mearum  
Haut unq̄vā violandus honor. Conſpurcat adulter  
Plurimus alterius caſtum (proh tempora!) lectum,  
Vultur & argento vendit jus omne forenſis

Plu-

Plurimus exiguo. Pictæ tectoria lingvæ  
 Quid referam, & recto spretas à tramite technas,  
 Mercurii quæis turba studet? Justissimus instat  
 Terminus, & meritum Rhannusia sæva flagellum  
 Plissinis minitatur agris. Linque ergò penates  
 Ocyus, ô nostri vindex dexterrime Juris,  
 Lipsiacos, coeliqve prius te sedibus infer  
 Stelligeris, urbem Nemesis quàm justa superbam  
 Verberet & dignas sumat de Lipside poenas.  
 Dixerat. Ille suos primùm causatus amores,  
 Quos Patriæ, Patriæqve PATRI debebat in Aulâ,  
 Quos Sociæ, & proprio natis de sanguine Córclis,  
 Rennuere; at justa victus dictamine Divæ  
 Parère, & patriis tandem discedere terris;  
 Dumq; petit sedem, Astræâ vocitante, beatam,  
 Respicit, & Patriam somno vinoqve sepultam  
 Surrêxe, & priscum coeli exambire favorem  
 Ritè jubens, nitidis sese mox inserit astris.  
 At Tibi quid mentis, Philyre, est? quid pectore vol-  
 Jam Conso viduata tuo, viduata Catone? (vis  
 NON TIBI LAPSUS HOMO EST, SED IN HOC  
 SAPIENTIA LAPSA EST  
 LIPSIACUMQVE DECUS. Luxum ponè ergò tu-  
 mentem,  
 Angustosq; vago muta cum firmate saccos!  
 Sic coeli te blandus amor, sic alma beabit  
 Gratia, sic justos ponet quoqve Diva furores,  
 Submittetq; alios (quod fervidus opto) Catones.



1077

MC

FR 64, 136

Z d  
2898

SUPREMIS H  
 VIRI  
 MAGNIFICI, AC  
 COMPARA  
 DN  
**CHRISTO**  
**PINCKE**  
 CONSILIARII ELI  
 SCABINI CONSU  
 LIPSIENSES PI  
 S.  
 FACIEBAT  
 SED RUDI INTER EX  
 MINER  
**L. JOACHIMUS FELL**  
 ET ACAD. BIBLI

LIPSI  
 TTPIS JOH. ERIC



JA

